

*CH.* tu frater ubi ubi est fac quam primum haec audiat.

*PA.* visam domum.—

*TH.* numquid, Gnatho, tu dubitas quin ego nunc perpetuo  
perierim?

*GN.* sine dubio opinor. *CH.* quid commemorem primum  
aut laudem maxume?

15 illumne qui mihi dedit consilium ut facerem, an me qui id 1045  
ausu' sim

incipere, an fortunam conlaudem quae gubernatrix fuit,  
quae tot res tantas tam opportune in unum conclusit diem,  
an mēi patris festivitatem et facilitatem? o Iuppiter,  
serva obsecro haec bona nobis!

#### ix PHAEDRIA CHAEREA THRASO GNATHO

*PH.* Di vostram fidem, incredibilia  
20 Parmeno modo quae narravit. sed ubist frater? *CH.* 1050  
praesto adest.

*PH.* gaudeo. *CH.* sati' credo. nil est Thaide hac, frater, tua  
digniu' quod ametur: ita nostrae omnist fautrix familiae.

*PH.* hui  
mihi illam laudas? *TH.* perii, quanto minu' spēi 'st tanto  
magis amo.  
obsecro, Gnatho; in te spes est. *GN.* quid vis faciam?  
*TH.* perfice hoc  
25 precibu' pretio ut haereum in parte aliqua tandem apūd 1055  
Thaidem.

*GN.* difficilest. *TH.* siquid conlubitum, novi te. hoc si  
feceris,